

## CONFIRMATIO

*Rom. III, 20.* supra Aphor. I.

Non omnis caro. Vi-textūs reddendum erat: *nulla caro justificatur*, & identitas justificationis eō ipsō indicatur.

## ANTITHESIS.

*Pontificiorum, Socinianorum & Novatorum*, præprimis, quod necessitatem hujus doctrinæ attinet.

## ARTICULUS XVII.

DE

## SANCTIFICATIONE.

## APHORISMUS I.

*Sanctifica-* *Sanctificatio est actus gratiosus DEI, quo homini justifi-  
tionis de- cato, omnibus ejusdem facultatibus in melius mutatis,  
finitio. conceduntur vires bona opera faciendi & pietatis habi-  
tum successivè comparandi, ut secundum voluntatem  
DEi ambulans, gratitudinem suam ei declaret.*

## EXPLICATIO.

1. Hic generaliter observandum, quod hi actus gratiæ, justificatio & sanctificatio differant, & sint ordine naturæ unus prior, alter posterior.
2. Distinguendum inter *justificationem legalem & Evangelicam*. Illa studium bonorum operum includit ita, ut unicè in operibus sit quærenda; In posteriori bona opera penitus excluduntur.
3. Distinguendum inter *justificationem*, quatenus fit coram DEō *in foro conscientie*; (Ad hanc sanctificatiō nihil confert, imò excluduntur penitus bona opera) & quatenus fit coram hominibus, *in foro Politie Ecclesiastice*, & hīc aliter se res habet.
4. Distinguendum est inter gratiæ *justificationis necessaria consequentia, & essentiale constituens*. Ad priora, bona opera requiruntur, non ad posterius.

5. Hæc